



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.3. S. Gregorii Liber Pastoralis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

me vero ex tot periculis modo, quo vo-
luerit, liberet. Factum, quod peccata
mea merebantur, ut potius Longobardo-
rum quam Romanorum Episcopus sim. Huc
me tua Benevolentia perduxit.

§. III.

S. Gregorii Liber Pastoralis.

Cum Joannes Episcopus Ravennatensis Paul. vit. n.
S. Gregorium ex amicitia & mode- 12. Greg.
stia legibus reprehendisset, quod ad evi- Præf. in Past.
tandum Episcopatum se occultasset, vir
ad eum gerendum maxime idoneus; is
exinde occasionem arripuit sub hæc Pon-
tificatus sui exordia Librum scribendi de
Officiis Episcoporum. Hic Liber est de
Cura Pastoralis, in universa deinde Ec-
clesia celeberrimus, in quo S. Gregorius
excusare intendit, quod Episcopatum re-
fugerit, dum explicat, quid ipse de Pa-
pali Munere maxime arduo sentiat. Opus
in quatuor Partes dividitur, quarum
prima agit de Vocatione ad Episcopatum.
Qui ad sublimem Dignitatem vocatur,
probet se, quibus animi dispositionibus
illam suscipiat. An Scientia, Virtute,
Fortitudine, Constantia, Industria præ-
ditus sit, an exemptus sit ab omnibus vi-
tiis, per corporis nævos figuratis, qui Levit. 21. 17.
hominem secundum veterem Legem a
Functionibus Sacerdotii excludebant. In
secunda Parte ostenditur, qua ratione
Pastor

Sæculum VI. Pastor legitime vocatus Munus, quod
A. C. 590. non ambivit, impleat, quanto fervore

orare, populum erudire, & inopibus
 opitulari, teneatur, quanta humilitate
 zelo, & discretione virum esse oporteat.

In tertia Parte S. Gregorius varia docu-
 menta pro diversitate Fidelium, scilicet
 sexus, ætatis, conditionis proponit,
 docetque, ad uniuscujusque ingenitam
 propensionem, atque affectus invetera-
 tos vel instabiles & facile mobiles esse
 attendendum. De his omnibus sigilla-
 tim differit. In quarta Parte paucis de-
 monstrat, quam necessarium sit, ut Pa-
 stor frequentissime in propriæ vitæ ratio-
 nem animum reflectat, se ipsum emen-
 det, & in virtute humilitatis contineat.

Epist. 22. Tractatus iste jam ex illo tempore in tan-
 to pretio fuit, ut Imperator Mauritius
 unum Exemplar ab Anatolio Diacono,
 qui Ecclesiæ Romanæ Causas Constanti-
 nopoli curabat, sibi tradi expoposcerit,
 & Anastasius Patriarcha Antiochenus
 eundem ad usum Ecclesiarum Orientis
 in Græcum sermonem transtulerit.

§. IV.

S. Radegundis Obitus.

Greg. Tur. X. hist. c. I. Diaconus aliquis Gregorii Turonensis
 illo tempore, quo Pelagius Papa ob-
 dormivit, Romæ præsens & Ordinatio-
 nis S. Gregorii testis, ad Episcopum suum
 rever-